

54. Cogitandum quoque est, quomodo ad verum usum
singula praecepta sint transferenda.

55. Ubi notanda *Συμμερτα*: Lectio, meditatio, Oratio, tentatio.

56. Singulis diebus seria meditatione accedendum est, ad
speculum Decalogi: ut peccata fugiamus, infirmitates nostras agno-
scamus, Dei auxilium invocemus, & agamus DEO debitas gratias
pro praestitis beneficiis.

DISPUTATIO XIII.

De Praeceptis Decalogi.

1. *In primo Praecepto* haec virtutes commendantur: Agnitio
Dei, timor Dei, credere in DEUM. Item, patientia & humilitas.
Damnantur Dei ignorantia, *πολυψα*, errores in doctrina de Deo
Idololatria, Epicureismus, securitas, inobedientia, desperatio, hy-
pocrisis, superbia & murmuratio.

2. *In secundo* virtutes proponuntur: Reverentia divini nomi-
nis, invocatio, gratiarum actio, vera praedicatio, confessio, celebra-
tio, testificatio divini nominis in juramento legitimo, & fides juris-
jurandi. Peccata: Leviter & irreverenter sentire de DEI nomine,
non usurpare nomen Dei, omittere invocationem & gratiarum acti-
onem, falsam doctrinam spargere, non confiteri veram doctrinam,
Epicuræi sermones, vel jocosæ & ridiculæ usurpationes verborum
scripturæ: Exorcismi, execrationes, blasphemias, imaledicta despe-
rantium, scandala malæ vitæ, temeraria vota. Quæstio de ju-
ramentis, & eorum speciebus. De Magia, incantatione & super-
stitione vide Autorem ipsum.

3. *In tertio* ostendendum & discrimen inter Sabbatum Ju-
daicum & Christianum.

4. *Quartum Praeceptum* comprehendit societatem Politicam
& Oeconomicam. Nomen Patris accipitur Synechdochicè, vel ge-
neralissimè. Hic de officiis Parentum & Liberorum, Magistra-
tum & subditorum, Dominorum & Servorum, Praeceptorum &
Discipulorum &c.

5. *Quintum Praeceptum* privatis Personis proponitur; Ubi
nota, non esse manus dictum; Non occides; Sed toti homini. Qua-
tuor sunt species homicidii. 1. Occisio, quæ fit manu vel armis.